



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Cap. V. De dignitate & difficultate historiæ civilis.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

quisitio, quæ à nobis *Collegia minoræ*, vulgo *Species* appellantur. In hac autem postrema sola, industria Scriptorum enititur, ita tamen, ut potius luxuriata sit in superfluis, (Iconibus Animalium, aut Plantarum, & similibus intumescens) quam solidis & diligentibus observationibus ditata, quæ ubique in *Historia Naturali* subnecti debebant. Atque, ut verbo dicam, omnis, quam habemus, Naturalis *Historia*, tam inquisitione sua, quam congerie, nullo modo in ordine ad eum quem diximus finem [cõdendæ scilicet *Philosophiæ*] præparata est. Quare *Historiam induktivam* desiderari pronunciamus. Atque de *Naturali Historia* hæc tenent.

CAP. IV.

Partitio *Historiæ Civilis*, in *Ecclesiasticam*, *Literariam*, & (quæ *Generis nomen retinet*) *Civilem*: quodque *Historia Literaria* desideretur. *Ejus consicienda Præcepta*.

Historiam *Civilem* in tres species recte dividimus: Primo *Sacram*, sive *Ecclesiasticam*: deinde eam, quæ *Generis nomen retinet*, *Civilem*: Postremo *Literarum & Artium*. Ordinem autem ab ea specie, quam postremo posuimus, quia reliquæ duæ habentur, illam autem inter *Desideratæ* refertur visum est. Ea est *Historia Literarum*. Atque certe *Historia Mundi*, si hac parte fuerit destituta, non ab similibus censeri possit *Statua Poliphemi*, eruto oculo, cum ea pars imaginis desit, quæ ingenium & indolem Personæ maxime referat. Hanc licet desiderari statuamus, nos nihilominus minime fugit, in *Scientiis particularibus* Jure consultorum, Mathematicorum, Rhetorum, Philosophorum, haberi levem aliquam mentionem, aut narrationes quasdam jejunas, de Sectis, Scholis, Libris, Auctoribus, & Successionibus hujusmodi *Scientiarum*: Inveniri etiam de rebus & Artium Inventoribus tractat aliquos exiles, & infructuosos. Attamen justam atque universalem *Litterarum Historiam* nullam adhuc editam asserimus. *Ejus itaque & Argumentum, & consiciendi Modum, & Utiã proponemus.*

Argumentum non aliud est, quam ut ex omni Memoria repetatur, quæ *Doctrinæ Artes*, quibus *Mundi ætatis* & *Regionibus* floruerint. Earum *Antiquitates*, progressus, etiam peragrations per diversas *Orbis partes* (migrant enim *Sciëntiæ*, non secus ac *populi*) rursus declinationes, obliviones, instaurationes comemorentur. Observetur simul per singulas *Artes*, inventionis occasio & origo, tradendi mos & disciplina, colendi & exercendi ratio & instituta. Adjiciantur etiam *Sectæ*, & *Controversiæ* maxime celebres, quæ homines doctos tenuerunt, *Calumniæ*, quibus patuerunt, *Laudes & honores* quibus decoratæ sunt. Notentur *Auctores præcipui*, libri præstantiores, *Scholæ*, *Successiones*, *Academiæ*, *Societates*, *Collegia*, *Ordines*, denique omnia quæ ad *Statum Literarum* spectant. Ante omnia etiam id agi volumus (quod *Civilis Historiæ decus est, & quasi anima*) ut cum *eventis causæ* copulerentur: videlicet, ut memorentur *Naturæ regionum ac populorum*, *Indolesque apta & habilis*, aut *inepta & inhabilis ad disciplinas diversas*; *Accidentia temporum*, quæ *Scientiis adversa fuerint aut propitia*, *Zeli & mixtura Religionum*; *Maliitiæ & favores Legum*, *Virtutes denique insignes, & efficacia quorundam virorum*, erga *litteras promovendas, & similia*. At hæc

omnia ita tractari præcipimus, ut non, *Criticorum* more in laude & censura tempus teratur; sed planè *historicè* res ipsæ narrentur, *judicium parcius interponatur.*

De *Modo* autem huiusmodi *Historiæ* consiciendæ, illud in primis monemus, ut *materia & copia ejus*, non tantum ab *Historiis & Criticis* petatur, verum etiam per singulas annorum *Centurias*, aut etiam *minora intervalla*, seriatim, (ab ultima *Antiquitate* factò principio) libri præcipui, qui eo temporis spatio conscripti sunt, in consilium adhibeantur; ut ex eorum non perfectione, (id enim infinitum quiddam esset) sed degustatione & observatione *Argumenti, Styli, Methodi, Genii* illius temporis *litterarius*, veluti incantatione quadam, à mortuis evocetur.

Quod ad *Utiã* attinet, hæc eo spectant; non ut honor *Literarum, & pompa*, per tot circumfusas imagines celebretur; nec quis, pro flagrantissimo, quo *litteras* prosequimur, amore, omnia quæ ad earum statum quoquo modo pertinent, usque ad curiositatem inquirere, & scire, & conservare avemus; sed præcipuè ob causam magis *seriam, & gravem*: Ea est, (ut verbo dicamus) quoniam per talè, qualem descripsimus, *Narrationem*, ad *Virorum doctorum*, in *Doctrinæ usu & administratione*, *prudentiam & solertiam*, maximam accessionem fieri posse existimamus; & rerum *intellectualium*, non minus quam *Civilium* motus, & perturbaciones, vitiaque & virtutes, notari posse, & *Regimen* inde optimum educi & institui. Neque enim *B. Augustini*, aut *B. Ambrosii* opera, ad *prudentiam Episcopi*, aut *Theologi*, tantum facere posse putamus, quantum si *Ecclesiastica Historia* diligenter inspiciatur, & revolvatur. Quod & *Viris doctis ex Historia Literarum* obventurum non dubitamus. *Casum* enim omnino recipit, & *remeritati* exponitur, quod exemplis & memoria rerum non fulcitur. Atque de *Historia Literaria* hæc dicta sint.

CAP. V.

De *Dignitate, & Difficultate Historiæ Civilis*.

Sequitur *Historia Civilis* specialis, cujus dignitas atque auctoritas, inter scripta humana eminent. Hujus enim fidei, exempla *Majorum*, vicissitudines rerum, fundamenta *Prudentiæ Civilis*, hominum denique nomen & fama, commissa sunt. Ad dignitatem rei accedit difficultas non minor. Etenim animum in scribendo ad præterita retrahere, & veluti antiquum facere; temporum motus, Personarum characteres, Consiliorum trepidationes; Actionum (tanquam aquarum) ductus, Prætextuum interiora, *Impertii Arcana*, cum diligentia scrutari, cum fide & libertate referre, denique verborum lumine sub oculos ponere, magni utique laboris est, & *judicii*, præsertim cum antiquiora quæque incerta, recentiora periculo obnoxia reperiantur. Quam orbem & plurima *Historiam* itæm *Civilem* circumstant vitia: dum plerique narrationes quasdam inopes, & plebeias, & plane dedecora *historiarum* conscribant; alii *particulares relationes, & Commentarios* opera festinata & textu inæquali conscribant, alii capita tantum rerum gestarum percurrant, alii contra, minima quæque, & ad summas actionum nihil facientia, persequantur, nonnulli, nimia erga ingenia propria indulgentia,

gentia, plurima audacter conſingant; alii alii, non tam ingeniorum ſuorum, quam affectuum imaginem rebus imprimant, & addant, partium ſuarum memores, rerum parum fideles teſtes: quidam Politica, in quibus ſibi complacent, ubique inculcent, & diverticula ad oſtentionem quaerendò, narrationem rerum nimis leviter interrumpant; alii in Orationum, & Concionum, aut etiam Actorum ipſorum prolixitate, parum cum iudicio, nimii ſunt, adeo ut ſatis conſter, non inventi inter Scripta hominum rarius quicquam, quam Hiſtoriam legitimam & omnibus numeris ſuis abſolutam. Verum nos in præſenti partitionem doctrinarum inſtituimus, ut omiſſa; non Cenſuram, ut vitioſa notentur, Nunc partitiones *Hiſtoria Civilis* perſequemur, eaſq; diverſorum generum; Minus enim implicabuntur Species, ſi partitiones diverſe proponantur, quam ſi una partitiō curioſe per membra deducatur.

CAP. VI.

Partitio prima Hiſtoriz Civilis, in Memorias, Antiquitates, & Hiſtoriam juſtam.

Hiſtoria *Civilis* tripartita eſt, tribus picturatum aut imaginum generibus non abſimilis. Videmus enim ex picturis, & imaginibus, alias imperſectas, ut quibus ultima manus non accellerit; alias perfectas, alias vero vetuſtate mutilatas & deformatas, *Hiſtoriam* ſimiliter *Civilem* (quæ imago rerum & temporum quædam eſt) in tres ſpecies, illis picturarum congruas, partiemur; *Memorias* ſcilicet, *Hiſtoriam juſtam*, & *Antiquitates*. *Memoriae* ſunt *Hiſtoria inchoata*, aut prima & rudia *Hiſtoriz* lineamenta, *Antiquitates* vero *Hiſtoria deformata* ſunt, ſive reliquæ *Hiſtoriz*, quæ caſu enaufragio temporum erepta ſunt.

Memoriae, ſive præparationes ad *Hiſtoriam*, duplicis generis ſunt, quorum alterum *Commentarios*, alterum *Regiſtra* vocare placet. *Commentarii* nudam actionum & eventuum ſeriem ac connexionem proponunt prætermiſſis cauſis rerum & prætextibus, initiis quoque earundem & occaſionibus, conſiliis itidem & orationibus, & reliquo Actionum apparatu. Talis enim eſt propria *Commentariorum* natura: licet Cæſari, per modeltiam quandam cum magnanimitate conjunctam, præſtantiffimæ, inter eas, quæ extant *Hiſtoriz*, *Commentariorum* nomē indere placuerit, At *Regiſtra* duplicis naturæ ſunt: Complectuntur enim aut *Titulos Rerum & Perſonarum*, in ſerie temporum, quales dicuntur *Faſti*, & *Chronologiae*; Aut *Actorum Solennitates*, cujus generis ſunt, Principum Edicta, Senatuum Decreta, Judiciorum Proceſſus, orationes publicè habitæ, Epistolæ publicè miſſæ, & ſimilia, abſque narrationis contextu, ſive filo continuo.

Antiquitates, ſeu *Hiſtoriarum Reliquiæ*, ſunt [uti jam diximus] tanquam tabulæ naufragii, cum deficiente, & ferè ſubmerſa, rerum memoria, nihilominus homines induſtrii, & ſagaces, pertinaci quadam, & ſerupuloſa diligentia, ex genealogiis, factis, titulis, monumentis, numiſmatibus, nominibus propriis & ſtylis, verborum etymologiis, proverbii, traditionibus, Archivis & instrumentis tam publicis quam privatis *Hiſtoriarum* fragmentis, librorum neutriquam *Hiſtoriarum* locis diſperſis, ex his, inquam, omnibus, vel aliqui-

bus, nonnulla à temporis diluvio eripiunt, & conſervant. Res ſane operoſa, ſed mortalibus grata, & cum reverentia quadam conjuncta; ac digna certe, quæ deletis fabuloſis nationum originibus, in locum hujusmodi commentitiorum ſubſtituatur; ſed tamen eo minus habens Auctoritatis, quia paucorum Licentiæ ſubjicitur, quod paucis curæ eſt.

In his *Imperſectæ Hiſtoriz* generibus defectum aliquem non puto deſignandum, cum ſint tanquam *Imperſectæ Miſta*, ut defectus hujusmodi ſit ex ipſa earum Natura. Ad *Epitomas* quod attinet, (*Hiſtoriam* certe teredines, & tineas,) eas exulare volumus; quod etiam cum plurimis, qui maxime laſi fuerunt iudicii, facimus; utpote quæ complura nobiliſſimarum *Hiſtoriarum* corpora exederint, & corroderint, atque in faeces inutiles demum redegerint.

CAP. VII.

Partitio Hiſtoriz juſtae in Chronica, Vitas, & Relationes; Earumque partium explicatio.

At *Hiſtoria juſta* trium eſt generum, pro ratione *Objecti*, quod ſibi proponit repræſentandum. Aut enim *Portionem aliquam temporis* repræſentat; aut *Perſonam ſingularem* memoria dignam, aut *Actionem aliquam ſive rem geſtam* ex illuſtrioribus. Primum *Chronica* ſive *Annales* appellamus, ſecundum *Vitas*, tertium *Relationes*. Inter quæ, *Chronica* celebritate & nomine excellere videntur, *Vita* autem, fructu, & exemplis, *Relationes* rursus ſinceritate & veritate. *Chronica* namq; amplitudinem actionum publicatam, & perſonarum facies externas, & in publicum veſtas, proponunt; Minora autem, quæ tum ad Res, tum ad Perſonas pertinent, omittunt, & ſilentio involvunt. Cum vero id artificii divini ſit proprium, ut *Maxima eſt minimis ſuſpendat*, ſit ſæpe numero, ut hujusmodi *Hiſtoriz*, majora tantum perſecuta, negotiorum pompam potius, & ſolenntiam, quam eorum veros fomites & texturas ſubtiliores oſtendat: quietiam, etſi *Conſilia* ipſa addat, atque immiſceat, tamen granditate gaudens, plus gravitatis atque prudentiæ, quam re vera habent, humanæ actionibus aſpergat; ut *Satyræ* aliqua poſſit eſſe verior humane vite tabula, quam nonnulla ex ejuſmodi *Hiſtoriz*. Contra *Vitas*, ſi diligenter, & cum iudicio perſcribantur. [neque enim de *Elogiis*, & huiusmodi *Commemorationibus* jejunis loquimur] quandoquidem *Perſonam ſingularem* pro *Subiecto* ſibi proponant, in qua neceſſe eſt actiones, non minus leves, quam graves, parvas quam grandes, privatas quam publicas, componi & commiſceri, ſane magis vivas & fidæ rerum narrationes, & quas ad exemplum tutius & felicius transferre poſſis exhibent. At *Relationes* Actionum ſpeciales [quales ſunt *Bellum Peloponneſi*, *Expeditio Cyri*, *Conjuratio Catilinae*, & ſimilia] omnino puriore & magis ſincero veritatis candore veſtiri par eſt, quam *Hiſtorias juſtas* temporum, quia argumentum in iis deligi, & ſumi poteſt habile, & definitum; atque ejuſmodi, ut de eo notitia, & certitudo bona, & plena informatio haberi poſſit, cum contra *Hiſtoriam temporis* [præſertim quæ ætate Scriptoris multo antiquior ſit] neceſſario in memoria rerum ſæpius fatiſcat, & veluti ſpatia vacua contineat, quæ ingenio & conjectura occupari, & ſup-